



DE CURA STATUARUM  
APUD GRAECOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

$\sqrt{\quad}$

$\frac{L}{\quad}$

DIE XXX MENSIS JUNII A. MDCCCLXXXIII HORA XII

IN

AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM THESISIBUS ADIECTIS PUBLICE DEFENDET

**ERNESTUS KUHNERT.**

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AUGUSTUS BROSOW, SENIOR SEM. PHIL.

PAULUS HIRSCH, STUD. PHIL.

BEROLINI 1883.

APUD S. CALVARY ET SOCIUM.





GUSTAVO HIRSCHFELD

sacrum.



Nemodum ad nostra tempora de statuarum apud Graecos cura quaerere operae iudicavit pretium. nec casu fortasse hoc factum est; pleraque enim, quae de hac cura memoriae sunt prodita, in inscriptionibus latent, et in has ne inquireret nescio an nemo ea re deterritus sit, quod cotidie fere novi reperiuntur tituli, qui aliquam huic quaestioni afferunt materiam. nihilominus hanc quaestionem instituere non dubitavi, quia vel nunc plurimi sine dubio nobis noti sunt tituli, ut in universum recte de hac re iudicare liceat, quamvis singula novis inscriptionibus aut refelli aut augeri possint.

duas autem in partes totam hanc quaestionem esse dividendam, statim elucet: in priori enim qui statuis et perficiendis et collocandis providerint Graeci, quomodo conservandis vel reficiendis consuluerint his signis in altera quaerendum erit.

hoc quidem loco priorem modo tractabimus partem; altera prostat Berolini apud Calvaryum.





## De curatoribus statuarum apud Graecos.

Hoc nomine eos significamus, quibus operae erat, ut statua quaedam loco constituto collocaretur. in inscriptionibus graecis, quae solae fere hic contemplandae sunt, quia ex litteris graecis de curatoribus perpauca discimus, hae ad eos pertinent formulae<sup>1)</sup>:

saepissime legitur ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως (C. I. G. II 2217 — 3430) sed interdum etiam ἐπιμελησαμένου (Bulletin de corresp. hell. II p. 523, 6 — cfr. C. I. G. II 2802) et ἐπιμελητεύοντος (C. I. G. I 1713 — II 2371 — Ἀθῆν. V, 9 — V, 323) ὑπὸ (τῆν) ἐπιμέλειαν (non nisi Megaris C. I. G. I 1074—1078 — Lebas II 48—49—50) semel δι' ἐπιμελείας (C. I. G. III 4150 b. add.). persaepe etiam dicitur προνοησαμένου τῆς ἀναστάσεως (ut in C. I. G. II 2929—3421 — Revue archéol. 28, 110 — Bull. I, 85, 24) — προνοίᾳ (C. I. A. III 635) — διὰ τῆς προνοίας (C. I. A. III 556) — τῆν πρόνοιαν ποιησαμένου (C. I. G. II 2457) — ἐπισκοπούσης (sc. φυλῆς Leb. III 2308). non raro sola, διὰ praepositione idem significatur (Bull. IV, 442 — C. I. A. III 472—475 — C. I. G. I 1323), ut per praepositione apud Latinos (C. I. A. III 471). iungitur etiam διὰ ἐπιμελητοῦ (C. I. G. I 340—C. I. A. III 473); bis ὑπὸ ἐπιμελητῆν invenitur (Bullet. V, 444 et 445). interdum autem curator ἐπιστάτης vocatur (Leb. II 116a — C. I. A. I 318 — Rangabé ant. hell. 689) eodemque sensu ἐπιστατεῖν verbum adhibitum est in schol. in Aristoph. Pac. 605. de ἐργεπιστατήσαντος voce postea plura exponemus.

munus autem curatorum plerumque cura ἀναστάσεως dicitur (C. I. G. II 2787—2930 b add.) vel ἀναθέσεως (C. I. G. I 435); recentissimis demum Graeciae temporibus etiam ἀρχῆν voce hoc

<sup>1)</sup> usitatissimas modo aut singulares quasdam hic afferam.

munus significatum esse videtur (Bull. 1882 p. 184, 185; cfr. Köhler, mitt. des athen. inst. III 234 not. 3.) multo minus saepe plenior legimus formulam *κατασκευῆς καὶ ἀναστάσεως* (C. I. G. II 2789—2264 p, add. 3183 — III 3884) vel *κατασκευῆς καὶ ἀναθέσεως* (Bull. III 151) *ποιήσεως καὶ στάσεως* (C. I. A. II 312) — *ποιήσεως καὶ ἀναθέσεως* (C. I. A. II 331).

Iam vero, quoniam quae pertinent ad curatores formulas contemplati sumus, accuratius quae de iis prodita sint memoriae videamus. tres autem in partes dividere hanc quaestionem animum induximus, ita ut in prima de publicis curatoribus, in altera de privatis, de sacris in tertia exponatur.

### I. De curatoribus publicis.

Si primum de officiis eorum quaerimus, Graecis et Romanis in more fuisse praemittendum est, ut curam opera publicae perficiendi ad cives quosdam deferrent, de qua re Gilbert. in antiq. publ. Gr. (p. 249) haec dicit: diese (curatores scil.) hiessen *ἐπιτάται τῶν δημοσίων ἔργων*, welche zur beaufsichtigung der staatsbauten in wechselnder anzahl wol aus allen Athenern erwählt wurden, während die technische leitung einem sachverständigen zufiel. idem fere in signis perficiendis mos erat. statuarum igitur ut aliorum operum publicorum curatores extraordinarii magistratus erant, certis temporibus certisque condicionibus ex senatus populi que decreto<sup>1)</sup> electi; sin perfecerant, quae ad eos erant delata, munere se abdicabant.

ac primum quidem statuac perficiendae consulere eos oportebat, quod ita faciebant, ut artificii cuidam opus conducerent exculpendum. quae conductio<sup>2)</sup> litteris mandata est, id quod satis testatur Demosthenes in oratione quam habuit de corona (p. 268 cfr. Köhler ges. schriften VI p. 347); num semper, ignoramus, sed in publicis quidem operibus locandis hunc morem viginisse probabile est. curatores propterea cum artificibus convenire necesse erat<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> C. I. A. II 251—300—331 — schol. in Aristoph. Pac. 606 — Newton discov. p. 763 —

<sup>2)</sup> quam *ἐκδοσις* vocabant Graeci, cfr. Diog. L. V, 15—Polyaen. VI, 51— C. I. G. II 2347 c — Rev. 1865 p. 299—

<sup>3)</sup> fortasse ἐν *δικαστηρίῳ*, cfr. Dareste in Annuaire de l'association des études grecques XI p. 109.

videnturque ei plerumque artificii opus elaborandum conduxisse, qui optime et vilissimo pretio se id effecturum esse polliceretur<sup>1)</sup>. statuat deinde ab artifice perfectam curatores inspexerunt; si probata est, pretium antea constitutum solverunt; et tum aut ab artifice fortasse ipso aut ab hominibus ad hoc conductis<sup>2)</sup> statuat constituto loco poni curaverunt. jocosum prorsus et singulare est, quod apud Pausaniam VI, 14, 2 de Milone legimus athleta, qui, ut corporis sui robur quantum esset, demonstraret, statuat sibi decretam umeris imposuit nulloque alio subveniente in Altim ipse portavit.

curatores quin pro munere cui praeerant pecunias a republica nunquam acceperint, dubitare non licet: hoc enim non factum esse vel inde apparere nobis videtur, quod plerumque ad viros summis in republica muneribus fungentes haec cura velut honor delata est. sumptus autem ad signum et perficiendum et collocandum necessarios republica solvit. quas pecunias curatoribus magistratus distribuerunt aeario praepositi, velut quaestores C. I. G. I 100—108—120—Rang. 689— *οἱ ἐπὶ τῇ διοικήσει* C. I. G. I 107—112—113— C. I. A. II 309—316 — *στρατηγῶν οἱ ἄρχοντες* Rev. 1865 p. 300 (Rhodi) — *ἐξεταστῆς καὶ τριπύραρχοι* (de quibus vid. Gilbert l. l. p. 238) C. I. A. II 300 — Rang. 2298 — *acta m. Acad. Berol. 1863 p. 265* — aut qui in quaque civitate pecuniis publicis providebant. curatores inde artificii pretium de quo cum eo convenerant, solverunt; hoc autem qui fecerint, non satis constat. plerumque vero in operibus publicis hunc morem adhibitum esse discimus. decima pars pretii constituti cautelae loco a curatore retenta est; reliquae autem pecuniae dimidium statim ex locatione artificii solutum, quadrans deinde tertia operis parte perfecta; quod restabat, accepit, cum aliam operis tertiam partem exegisset: decima denique illa pars tum demum ei contigit, cum opus prorsus absolutum atque a curatore probatum esset.<sup>3)</sup> singulae pretii partes num semper ut

<sup>1)</sup> Plut. mor. 498 E — Friedl. *sitteng.* III 257. not. 1.

<sup>2)</sup> C. I. A. I 319: *μισθὸς ἐσαγαγόντ[ε]* τὸ [ἀ]λματε καὶ στήσαντι ἐν τῷ νεῷ.

<sup>3)</sup> vid. Dareste *annuaire* XI, p. 109 — Fabricius de *archit. gr.* Berol. 1881 p. 27. quae alia ad curatores pertinent a me ommissa, in huius opusculi parte II videantur.

exposui solutae sint, dubium esse potest; decima vero totius pretii pars semper cautelae loco a curatore retenta esse videtur. ne autem in hac re tardiores essent curatores, certas iis multas ex legibus constitutas esse comperimus, quas ὑπερήμεροι (h. e. si singulas pretii partes suo tempore solvere artificibus neglexissent) pendere deberent. quamquam autem de statuarum curatoribus nihil huiusmodi memoriae proditum est, tamen quin eadem in hac re valuerit ratio, non est quod in dubitationem vocemus; eundem enim in omnibus operibus publicis modum adhibitum esse valde probabile est.

interdum etiam statua non uni modo sed pluribus artificibus conducta est, h. e. alii ornamenta vel cetera huius generis quae ad signum pertinebant perfecisse videntur. quod apparet e. g. ex C. I. A. I 319 titulo, in quo merces descripta est eorum qui ornamenta clipeo simulacri affigenda et qui πέταλα paulo postea locata fecissent: itaque plurativum ἐργασάμενοι legimus. cfr. etiam Friedl. sitteng. III, 257.

res autem ad statuam perficiendam necessarias atque collocandam utrum artifices an curatores emerint, pro certo vix potest affirmari. in titulo autem modo laudato artificibus res eius generis oblatae esse videntur: velut in capite IV et V μόλυβδος τῷ ἀνθέμῳ καὶ τοῖς δεσμοῖς τῶν λίθων τοῦ βάρου et ξύλα καὶ ἄνθρακες τῷ μολύβδῳ commemorantur, quae iis tradita sunt, qui basi in templo iam antea positae simulacrum pilis plumbeis liquefactis affigebant. itemque in aedificiis exstruendis plerumque curatores obtulisse omnia ad id necessaria artificibus comperimus (Fabric. l. l. p. 26). non est igitur, cur negemus, statuarum quoque artificibus non marmor vel aes modo sed etiam minores illas res ad signum perficiendum necessarias traditas esse a curatoribus, qui praesente fortasse atque probante artifice emere omnia solebant.<sup>1)</sup>

ad signum deinde in templo collocandum aliis etiam apparatus opus erat, de quibus in eadem illa inscriptione plura comperimus. ex capite enim octavo efficitur, magnam ligni copiam emendam fuisse, unde scalae construerentur, per quas et ipsa simulacra la-

---

<sup>1)</sup> accedit, quod de pictoribus simile proditum est memoriae: nam pretiosissimos quidem colores praebitos iis esse ex Plin. h. n. 35, 30 et 40 efficitur.

pidesque ad basim necessarii in fanum afferrentur. ibidem etiam ἔρουμα commemoratur, h. e. septum quoddam, quo cingebatur simulacrum (vid. Paus. V, 11, 4); hoc autem nisi in pretiosissimis simulacris adhibitum non esse videtur. his quoque omnibus rebus curatorem signi providere oportebat. saepissime autem, praecipue cum sub divo signum esset collocandum, tanto maximique pretii apparatu opus non erat. tum autem basis sola non sufficiebat: statua enim paulatim in humum imbris emollitum delapsa esset. itaque fundamento consulendum erat in humum demittendo, cui imposita basis considerare non posset.<sup>1)</sup> curatorem autem semper etiam basi et perficiendae<sup>2)</sup> providisse et collocandae et per se verisimillimum est satisque demonstratur C. I. G. III 3884 et Leb. II 116a titulis.

interdum etiam coronae si quae praeter statuam decreta erat providisse curator videtur (C. I. A. II 275? — 312); sed hoc munus non semper ad eum delatum esse ex C. I. G. I 107 apparet. sin autem externae urbis civi et statua in patria collocanda et corona decreta esset, coronae quoque in illa urbe publice pronuntiandae consulere curatorem oportuit (C. I. A. II 251); sine ulla autem dubitatione non ipse coronam pronuntiavit curator sed praeconem propterea conduxit.

vel decreto deinde in basi statuae exarando curatorem operam dedisse comperimus. accidit etiam, ut decretum et columnae marmoreae soli aut et basi et columnae aut vel duabus columnis incidi senatui populoque placeret. etiam his rebus providisse interdum curatorem ex C. I. G. II 2374e (add. p. 1074) et Rang. 689 et μουσ. καὶ βιβλ. Κυμρν. 1878 p. 23 constat. sed non semper: nam Athenis quidem ex duobus titulis (C. I. A. II 251—331) et columnae perficiendae decretoque in ea exarando scribam (γραμματέα) consuluisse discimus.

iam si quaerimus, quo tempore statuae ponendae fuerint, plerumque certum collocationis tempus praescribi non solebat. unicus enim est titulus apud Rang. 567 publicatus, in quo curatores ut

---

<sup>1)</sup> Paus. V, 20, 4.

<sup>2)</sup> nisi forte signum priscae impositum est basi, quae iam antea statuae ferendae servierat; C. I. G. I 380.

statua in novo tragoedorum collocetur certamine curare iubentur<sup>1)</sup> (quem morem in coronis pronuntiandis maxime usitatum fuisse nemo nescit). hoc singulare: si enim omnino quid de tempore additur, hoc praecipue imperatur curatoribus, ut signo quam celerrime et optime ponendo provideant.<sup>2)</sup>

cum denique ad finem omnia perduxissent curatores, magistratibus qui a rationibus erant (λογισταῖς) rationem eos reddere<sup>3)</sup> oportebat impensarum quas fecerant, iisdemque quae restiterant pecuniae solvendae erant (Rang. 689).

dubitari potest, utrum semper iidem qui statuae ab artifice perficiendae providebant, collocandam quoque eam curaverint an alii altero hoc munere functi sint. in plerisque enim titulis ut iam antea monui ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως legimus, raro plenior formulam κατασκευῆς καὶ ἀνάστασως (in qua κατασκευὴν ad signum ab artifice perficiendum, ἀνάστασιν ad statuam collocandam pertinere apparet). accedunt tituli alii; primum quidem C. I. A. II 251, ex quo effici fortasse nescio an nemini videatur, alteros statuae perficiendae, alteros collocandae providisse. agitur enim in hoc titulo de signo Asclepiadi Byzantino in patria eius ponendo; cui statuae (coronaeque item Asclepiadi decretae) perficiendae magistratus qui ὁ ἐπὶ τῆ διοικήσει (h. e. procurator aerarii) ab Atheniensibus vocabatur et tres legati, collocandae autem Byzantii statuae tres modo legati consulere. videtur autem hoc loco procurator aerarii non tam statuae providisse perficiendae (quamquam hoc per se non abhorre a muneribus eius postea videbimus) quam aut pecunias modo ad hoc necessarias solvisse (C. I. A. II 309—316) aut, quod multo existimaveris verisimilius, coronam perficiendam curasse solam: hoc enim munus alias quoque ad procuratorem delatum esse ex C. I. G. I 107 discimus, cum statuae alius curator con-

---

<sup>1)</sup> idem forsitan ex Sueton. Claud. 9 colligi possit, qui Claudium anno 37 consulatu paene multatum esse tradit, quia negligenter nimis consuluerat statuis Neroni et Druso ponendis. quod ita modo potest intellegi, ut certum ad signa collocanda temporis spatium Claudio praescriptum esse putes.

<sup>2)</sup> C. I. G. II 2374e — Bull. V, 74, v. 52 — arch. zeit. 1872 p. 188 — Newton disc. p. 763 —

<sup>3)</sup> διδόναι τὰς εὐθόνας, schol. in Aristoph. Pac. 605.

stitutus esset. sed non item de alia inscriptione Aphrodisiade re-  
 perta (Leb. III 1602 a) iudicari potest. ubi enim Adrasto cuidam  
 a iuvenibus (τοῖς νέοις) cum alios honores tum statuam decretam  
 esse expositum est, pergitur ita: τὴν δὲ ἀνάθεσιν τοῦ ἀγάλματος  
 πεποιῆσθαι τοὺς νέους ἐκ τῶν ἰδίων, ἐπιμεληθέντος Ἑρμογένους τοῦ  
 Ὑψικλέους, φύσει δὲ Ἑρμοῦ, τοῦ γραμματέως τῶν νέων, ἐργεπιστατήσαντος  
 Παμφίλου. duos inde statuæ curatores fuisse cognoscimus; et Pam-  
 philus quidem, qui ἐργεπιστατήσας vocatur, statuæ ab artifice per-  
 faciendæ providisse perfectamque inspexisse atque probasse videtur,  
 fortasse quia peritus eius rei erat (cf. Gilbert l. l. p. 249); Her-  
 mogenem autem ut statua constituto poneretur loco providisse pro-  
 babile est. facere non possum, quin hoc loco commemorem, ἐργε-  
 πιστατήσαντος vocem in aliis etiam titulis asiaticis (quamquam neque  
 in Graecia inusitatam eam fuisse ex schol. in Arist. Pac. 606  
 colligas) adhibitam esse, velut Ephesi (C. I. G. II 2963c—2965—  
 2966— Bull. I 292, 80), Smyrnae (C. I. G. II 3190) Cerami  
 (C. I. A. III 486); sed omnibus his locis de alio curatore nihil  
 dicitur, unde colligi potest, eos qui ἐργεπιστατήσαντες vocantur, hic  
 etiam collocandæ statuæ providisse, ut in his titulis haec vox nihil  
 aliud significet nisi quod saepissime ἐπιμεληθέντες. cum autem in  
 ea sola de qua supra diximus inscriptione duo curatores comme-  
 morati sint, nunquam in aliis, inde summa cum verisimilitatis  
 specie colligas, alias plerumque eundem curatorem utroque munere  
 functum esse, vel tum, cum in externa urbe statua domi perfecta  
 collocanda esset (Aθήν. V, 9). si igitur in titulis de curatore modo  
 dicitur ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως tacite καὶ κατασκευῆς supplendum  
 esse mihi quidem constat.

quod si plures unius statuæ curatores electi sunt, licet putes,  
 hos munera inter se partitos esse; neque abhorret fortasse a vero,  
 si quis contenderit, unum interdum artis peritum inter publicos  
 curatores dilectum esse; sed certum de ea re affirmari nihil potest  
 et persaepe unus modo curator statuæ praepositus erat. hunc  
 unum autem artificem etiam fuisse uno modo utimur exemplo  
 (C. I. A. III 476).

haud raro etiam factum est, ut uni homini uno eodemque  
 tempore complures decernerentur statuæ; sed tum quoque idem  
 curator omnibus providisse videtur. hoc certe ex titulo apud Rang.

(689) publicato colligere audemus; ibi enim status duabus Theopompo cuidam dicatis unus curator Philippus et perficiendis consuluit atque collocandis.

haec fere de officiis curatorum ex inscriptionibus graecis comperimus; iam pauca de numero eorum et de temporibus quibus tituli huc pertinentes exarati sint, adiungere liceat. valde enim mirum nescio an nemini videatur, quod omnes fere in quibus commemorantur curatores tituli Romano demum aevo conscripti sunt, praesertim cum reputaverit, quantus iam quarto a. Chr. saeculo statuarum numerus in Graecia fuerit. causa autem quae sit, haud difficile est intellectu: paucae enim omnino statuarum inscriptiones ante Romanorum tempora exaratae casu quodam servatae sunt nobis et ad rationem earum de curatoribus priorum temporum minima modo comperimus; accedit, quod priscis quidem temporibus curatorum nomina non semper in ipsa signi basi exarari in usu fuisse videtur. nam quin curatores priori aevo item ut postea unicuique electi sint signo, dubitari non potest. tituli quidem ante Romanorum aevum exarati huc pertinent hi: C. I. A. II 251 — 300 — 312 — 331 — 592 — Ἀθήν. V, 9 (si recte de eo iudicavit Cumanudes) — arch. z. 1872 p. 188, praeter unum atticis omnes. et in titulis quidem C. I. A. II 251 — 300 — 331 tres dilectos esse per chirotoniam cives ignotos prorsus legimus, qui signo ponendo operam darent; in inscriptione autem C. I. A. II 312 anno a. Chr. 283 exarata procuratores aerarii, in Ἀθήν. V, 9 epimelendam curatores fuisse legimus. C. I. A. II 592 vero decretum est cleruchorum Hephaestiam urbem incolentium; qui civi cuidam Athenis statuam erigere constituerant et propterea quinque viros elegerant, qui Athenas irent peterentque, ut sibi hoc decretum exigere liceret. proximus denique titulus tredecim Jonici concilii urbium decretum est pertinetque ad statuam Hippostrato Milesio ponendam, cui rei ut providerent, duae urbes constitutae erant. certus igitur curatorum numerus non exstitit: complures enim, sed vel unum hoc munere functum esse legimus. idem fere posteris factum est temporibus, quamquam unus plerumque curator sufficisse videtur.

Praemissis his rebus iam qui ordo fuerit curatorum publicorum videamus.

Persaepe **archontes** huic muneri praefuisse comperimus. interdum omnes electi esse videntur, velut Aezanis (Leb. III, 988), Synnadis (Revue 31, p. 195 et 198); quinque Aphrodisiade curantes videmus (Leb. III, 1623), tres Erythris (Leb. III, 53) et in Thera insula (C. I. G. II, 2455), duos Cyzici (C. I. G. II, 3667) et Otroui in urbe Phrygiae (Bull. 1882 p. 517); incertus numerus in titulo in Tauria reperto commemoratur (Bull. V, 74, v. 49). haud raro autem summus modo archon statuam collocandam curavit, ut apparet ex inscriptionibus C. I. G. II, 2457 (in Thera insula) et Bull. II, p. 403, 3 (Traianopoli) et Bull. II, p. 523, 6 (in Melo insula), quo in titulo idem et sacerdos et pontifex maximus fuisse dicitur; saepius etiam Aphrodisiade dilectus esse videtur (C. I. G. II, 2761 — 2764 — 2777). unum quidem ex archontum numero sed non summum Ambryssi (C. I. G. I, 1736) et in Cypro insula hoc munere functum esse legimus (Leb. III, 2814). sed non per se solum archontes statuas collocandas curaverunt; verum haud raro vel unus modo vel complures eorum una cum aliis magistratibus hoc officium suscipiebant, id quod discimus ex titulis C. I. G. II, 2012 (Callipoli) ubi et quaestores et ex C. I. G. III, 4380 b<sup>1</sup> (Cibyrae) ubi una cum iis scriba commemoratur. ex proxima hac inscriptione expleri forsitan possit C. I. G. III, 3822 b<sup>2</sup> (Orcisti), ubi primum archontes curatores enumerantur, tum verba sequuntur haec: καὶ Π. Π. Κλαυδίου Ρουφίνου . . . . . ; γραμματέως olim ascriptum fuisse videtur.

praeter archontes saepissime **imperatores** (στρατηγούς) curasse discimus, sed certis modo, ni fallor, locis. velut Pergami quinque commemorantur in titulo apud Leb. III, 1721. huc etiam pertinere mihi videtur mutila quaedam inscriptio quae legitur in μουσ. καὶ βιβλ. etc. 1876 p. 4, 76, et ipsa Pergami reperta. quae inde a versu 12 haec continet verba: ἐπιμεληθέντων (sqq. nomina quaedam propria) . . . . . τρατ . . ο. quae ex titulo illo a Lebasio publicato in τοῦ στρατηγού suppleri possis, ut unus ex curatorum numero imperator fuerit. magis autem placet τῶν στρατηγῶν, ut omnes quorum nomina ante sunt enumerata, imperatores intellegendi sint; titulum enim in fine non recte descriptum esse inde apparet, quod ο. ultima esse littera dicitur, id quod fieri nullo modo potest. in alio deinde titulo permutilo Eleae haud procul a Pergamo re-

perto (μουσ. 1880, 140, 186) item in fine de imperatoribus agitur; sed num hoc quoque loco curatores fuerint signi diiudicari vix potest. praeter Pergamum autem urbem in Asia provincia Erythris (μουσ. 1875, 97, 95) et in Chio insula (C. I. G. II, 2217) commemorantur; quinque autem imperatores statuas Severo et Juliae dicatas Ephesi collocandas curasse videntur,<sup>1)</sup> si quidem recte inscriptio in vol. III, 147 b publicata a Lebasio expleta est. unum modo imperatorem Smyrnae curantem videmus (C. I. G. II, 3189, qui ἐπὶ τῶν ὀπλων στρατηγός vocatur), summum Eresi (Bull. IV, 442) et in Chio insula (C. I. G. II 2217). in Graecia autem tribus modo inveniuntur locis: in Aegina insula (Rang. 688), Megaris (ubi unus commemoratur in C. I. G. I 1074 — 1079 — Leb. II, 46 c.), Taenari, quo loco Eleutherolacones statuas quasdam suo ipsorum imperatori collocandas tradiderunt.

**ephoros** quoque, sed non saepe, in doriensibus civitatibus curatorum munere functos esse compertum habemus, velut Oetyli (C. I. G. I 1323), Lacedaemone (C. I. G. I 1321; 1322, ubi una cum iis epimeleta qui vocatur hoc munus executus est), Taenari (Leb. II 261), sed postremis modo ut videtur imperatorum Romanorum temporibus. qui in ultima inscriptione commemoratur quaestor, pecunias modo necessarias solvisse videtur.

locis quibusdam etiam **epimeletae** (qui et ipsi magistratus erant publici) statuis erigendis consuluerunt. praeter eum quem modo attulimus titulum, ubi una cum ephoris epimeletam curatorem vidimus, huc pertinent C. I. A. III 556 (Athenis), Bull. III 151 — 156 — 158 (in Delo insula); conferatur Leb. III 2077. in aliis vero inscriptionibus hoc nomen non ad magistratum pertinere ordinarium sed eodem modo ut ἐπιμεληθέντες participium de statuarum curatoribus usurpatum esse antea commemoratum est et plane apparet ex titulo Bull. V 444, ubi ὑπὸ ἐπιμελητῆν nihil aliud nisi ὑπὸ ἐπιμέλειαν sive ἐπιμεληθέντος significare posse manifestum est. videatur etiam Cumanudes, Ἀθήν. V, 9 sqq.

non raro etiam **senatores** quosdam ad statuas collocandas electos esse constat, sed hic mos Asiae fines migrasse non videtur.

---

<sup>1)</sup> qui iidem rogationem tulerant de erigendis his signis, cfr. C. I. G. II, 2947 — Leb. II, 116a — μουσ. 1876, 114, 1.

velut Philippopoli (Leb. III 2077) Julium Malchum hoc officio functum esse comperimus, qui idem *σύνδικος καὶ ἐπιμελητῆς* vocatur; itemque Aphrodisiade hoc munere functum esse legimus senatorem (Leb. III 213) qui et ipse Asiarcha appellatur et una cum eo civem quendam *ἀξιολογώτατον* vocatum (de quo p. 15). Tirae autem (μουσ. 1876, 114, 1) privati cuiusdam ignoti statuum ponendam curavit Tryphon senator, qui ipse hoc signum decernendum rogaverat, si quidem recte obscuram hanc inscriptionem intellexi. Erythris vero princeps senatus (*βούλαρχος*) curavit statuum filio Flavii Philostrati, homini de senatu optime merito dicatam (Bull. IV 154); neque hic modo sed etiam Smyrnae eum reperimus, ubi *ἀξιολογώτατος* cognomen ei inditum est (Leb. III 655). in alia quoque inscriptione Philadelpheiae urbis princeps senatus, qui item Claudiani cui dicatum erat signum avus fuit, hoc officium exsecutus esse dicitur (Leb. III 644), Minoaeque princeps senatus patris signum collocandum curavit (C. I. G. II 2264 p.). denique Aphrodisiade principem hoc munere functum esse ex C. I. G. II 2811 apparet: pecuniae autem ad signum perficiendum necessariae non a republica sed a senatu solutae erant.

Mileti etiam princeps *prytaniae* status erigendis haud ita raro consuluisse videtur (Rev. 28, 110—111 — C. I. G. II 2878); sed in ultimo quem commemoravimus titulo una cum eo quinque huius magistratus socii (h. e. prytanes) enumerantur.<sup>1)</sup> unum modo ex prytanium numero neque eum principem Hieropoli in urbe Cappadociae hoc munus exsecutum esse legimus (Bull. 1883 p. 129, 130); itemque unum ex C. I. G. II 3001 titulo Antoniae Julianae statuum Ephesi ponendam curasse comperimus et una cum eo populi scribam.

ad scribas saepius omnino hoc munus delatum esse invenimus et ad solos et sociis operae consumptis (p. 11), neque id mirum, cum illi ipsi etiam decreto in columnis incidendo interdum consilere deberent (ut Athenis, p. 7). attamen tituli adhuc servati in

---

<sup>1)</sup> qui quanto in honore a Milesiis sint habiti, ex Aristot. pol. V, 4, 5 discimus.

quibus scribae curatores fuisse dicuntur, ad unum omnes in Asia reperti sunt. sed immerito forsitan inde colligas, hunc quoque morem Graecis non placuisse, cum columnis quidem eos providisse collocandis Athenis testimoniis demonstretur. solum quidem per se scribam curasse ex C. I. G. II 2947 titulo Nysae reperto efficitur, in quo eundem etiam sententiam tulisse de statua dicanda adiungitur. itemque unum invenimus Ephesi (Leb. III p. 734), Antiochiae (Leb. III 2707, ubi autem senatus statuam dicavit), Cibyrae (C. I. G. III 4380 b<sup>2</sup> add.). fieri etiam poterat, ut idem ille scriba alio quoque fungeretur magistratu vel publico vel sacro; velut Magnesiae T. Flavius quidam Nervae statuae ponendae consuluit, qui pontifex maximus simulque populi scriba erat (C. I. G. II 2911), cum Ephesi Messalinae (?) statuam scriba<sup>1)</sup> collocandam curaret, qui item institutor Augusti ludorum fuerat (C. I. G. II 2961 b). una vero cum aliis scribam curatorem invenimus in C. I. G. III 4830 b<sup>1</sup>: ibi enim archon socius eius fuisse dicitur (p. 11). Trallibus denique scriba una cum *χρυσοςφόρος* qui vocatur signi collocandi munere functus est (C. I. G. II 2929). *χρυσοςφόρος* quid valeat, ignoratur: Boeckhiius quidem nomen muneris seu dignitatis esse contendit; probabilior autem multo Hirschfeldii mihi videtur sententia, qui cognomen hoc esse iudicat, ut scriba una cum privato hoc officium praestitisse intellegendus sit.

praeter hos deinde magistratus interdum etiam eos qui aerario praepositi erant curatores fuisse statuarum memoriae est proditum. velut Athenis ii, qui

*οἱ ἐπὶ τῆς διοικήσεως*<sup>2)</sup> appellabantur, huic muneri praefuerunt, ut apparet ex C. I. A. II 312 titulo anno a. Chr. 283 exarato et ex C. I. A. II 275 qui ex eo expletus est. ceterum videantur, quae de C. I. A. II 251 titulo iam antea p. 8 dicta sunt.

de quaestoribus item iam supra egimus; cumque non per se

---

<sup>1)</sup> vix huc referenda est C. I. G. II 2930 b inscriptio Trallibus reperta, ubi filius eius cui dicata erat statua ponendam eam curavit, qui idem scriba populi, senatus, gerusiae erat.

liceat etiam hoc loco Pergamenorum afferre documentum (C. I. G. II 3548), in quo filius scribae statuam curasse dicitur a senatu populoque dicatam.

<sup>2)</sup> de numero Gilbert ant. p. Gr. p. 233.

soli sed una modo cum aliis magistratibus fungi hoc munere soleant, pecunias modo necessarias tribuisse videntur.

sola in Philadelphia urbe **oeconomus** urbis commemoratur, qui status consuluerit perficiendis (Bull. I 84, 14 — *μουσ.* 1875, 130, 48). denique **argyrotamias** qui vocatur silentio non est praetereundus, qui in duabus modo Apameensium inscriptionibus curator statuarum fuisse legitur (C. I. G. III 3958—3959).

singulares his tres adiungimus titulos. primus quidem Philadelphiam prope urbem repertus est (Leb. III 1669), unde tres **comarchas** statuae consuluisse collocandae discimus: decretum sine dubio vici cuiusdam in hac regione siti, ex quo ad summos vici magistratus hoc munus delatum est.<sup>1)</sup> alter autem Pergami existit titulus (*μουσ.* 1876, 24, 115), ex quo **chiliarcham** in Aegypto provincia hoc officium exsecutum esse comperimus. cum autem *ἐπιμεληθέντος* vocabulum ex coniectura modo Earini editoris sit positum et vix credibile videatur, chiliarcham in Aegypto provincia statuae Pergami erigendae providisse, alius rei causa chiliarcham hoc loco commemoratum esse putaverim. tertius denique titulus, qui in Leb. III 147a legitur, Ephesi repertus est. agitur autem in eo de statua L. Torquato Asiae legato a senatu populoque decreta, quam Antonius quidam Hierocles, de quo nihil additur, et Pompeius Aelianus, qui *ἐρηνοάρχης* vocatur, de sua pecunia solverant et sine dubio ponendam etiam curaverant. quem irenarcham publicae paci atque quieti providere oportebat, quo munere Athenis *ἐρηνοφύλακας* fungebantur: hic igitur quoque quin in summorum magistratuum numero referendus sit, dubium esse non potest.

in inscriptionibus deinde quibusdam<sup>2)</sup> quae omnes intra Asiae fines repertae sunt *ἀξιολογώτατος* qui appellatur, saepe statuarum fuisse curator traditur. quae vox non raro cum summorum magistratuum nominibus iungitur<sup>3)</sup>; in his autem titulis per se legitur sola cum articulo coniuncta, unde colligas, hominibus summis in republica muneribus functis quasi cognomen honorificentissimum

---

<sup>1)</sup> de helladarcha in arch. z. 1876, 50, 8 videatur ibid. p. 226.

<sup>2)</sup> p. Chr. exaratis.

<sup>3)</sup> C. I. G. II 3420 — Leb. III 655.

eam tributam esse. quos statuarum curatores Philadelphiae invenimus (C. I. G. II 3421 — Leb. III 652—654) eosdemque Aphrodisiade quoque (C. I. G. II 2802) et Mileti (Leb. III 213 una cum senatore) huic muneri praefuisse comperimus.

romanorum denique magistratum in quattuor titulis Megarensibus **proconsulem** Hadriani temporibus curatorem invenimus (Leb. II 48—49—50—50a). in titulis C. I. G. II 2593 usque ad 2597 num consul statuarum curator intellegendus sit, haereo.

haec de magistratibus: vidimus igitur, plerumque in singulis civitatibus ad certum nullum magistratum, sed modo ad hunc, modo ad illum, prout placeret, hoc munus delatum esse; ubique vero non nisi summi ordinis magistratus curatores constitutos esse apparuit.

praeterea persaepe **privatos** qui hoc officium praestarent electos esse constat. non raro enim in titulis prorsus ignotos viros reperimus, h. e. nomina sola legimus, cum non additum sit, curatores hos publico quo munere functos esse. omnes autem quae huc pertinent inscriptiones praeter duas item Romanorum temporibus exaratae sunt: ex duobus autem his titulis (atticis, C. I. A. II 300—331) tres cives publice dilectos statuis collocandis praefectos esse comperimus. alios omnes huius generis qui exstant titulos Romano aevo conscriptos afferre non iuvat, sed eos modo, ex quibus alia colligi possunt. velut horum quoque curatorum non semper eundem fuisse numerum discimus: plerumque enim unum modo curantem videmus (C. I. G. I 1078 — II 2154—2371 — III 3884 — 4012 — 5884 — Newton disc. p. 763), sed etiam duos (Leb. II 159 k — Bull. V 444) et vel quattuor (Leb. III 730) invenimus. non autem de ignobilis viri statua semper agitur in huiusmodi titulis, sed etiam in signis quibusdam imperatoribus aut regibus dicatis curatorum nomina sola legimus, nullo eorum munere commemorato, ut in signis Severo (C. I. G. II 2154), M. Aurelio Antonino (C. I. G. III 3884 — Bull. V 444) Sabiniae (Bull. IV, 396), Ptolemaco regi (Leb. II 159k) erectis. iam inde apparet, non ad unum quem civem, sed ad nobilissimos modo hoc munus delatum esse; accedit, quod interdum una cum summis magistratibus hoc officium eos exsecutos esse traditum est.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Leb. III 147a — 880 — 1602a — C. I. G. II 2929 cfr. p. 14.

vix est, quod moneam, eo maiorem honorem habitum esse, quanto nobiliores statuæ curatores essent. quæ mea sententiâ Apolloniatarum affirmatur decreto (C. I. G. III 3960), in quo de statuâ Mithridati summo Asiae sacerdoti ab Apolloniae civibus dicata agitur. hanc enim ut curaret Xeno quidam electus est, qui ἀνὴρ κράτιστος τῶν πολειτῶν vocatur: summum igitur honorem cives tribuere illi sibi videbantur, cum optimum civem statuæ eius collocandæ præficerent. simillima huic decreto Traianopolitarum est inscriptio, quam vides in Bull. 1882 p. 185; pertinet enim ad statuam Gallieno ponendam opera Σεπτίμ. Μαρκιανοῦ καὶ . . . . . Μαρκιανοῦ κράτιστω [. . . . . ], quæ ex titulo modo laudato in κράτιστων πολειτῶν supplenda sint. neque alienus ab hoc loco Tralliensium est titulus (Leb. III 600 a), in quo Neronis statuæ erigendæ præfuisse dicitur Hierocles, qui tam bene de republica meritus erat, ut ὑὸς πόλεων<sup>1)</sup> cognomen ei tributum esset. Athenienses denique celeberrimi illius Minervæ simulacri a Phidia exculpenti Periclem, hominem eo tempore celeberrimum curatorem per chirotoniam elegisse nemo nescit (schol. Ar. Pac. 606).

iam si quaerimus, qui prætera curatorum sint functi officiis, sæpissime cognatos aut amicos eius cui decretum erat signum commemorari reperiemus, qui utrum publice electi sint an sua sponte petierint, ut præesse huic muneri sibi liceret, dubium est.<sup>2)</sup> omnium autem eorum titularum, in quibus cognati aut amici honorati curatores fuisse dicuntur, rationem habere non possumus ob eam causam, quia maior eorum est numerus; et cum plerique ad verbum fere inter se congruant, pauca attulisse exempla satis erit. ac fratrem quidem honorati non modo curantem videmus (C. I. G. II 2787 — 2811 b — III 3858 — Leb. III 754) sed etiam matrem (C. I. G. II 2336), patrum (Leb. II 46 d), filium (C. I. G. II 2930 b), filios (Leb. III 985), parentes (Leb. III 650), maritum honoratæ (C. I. G. III 4150 b), uxorem honorati (Leb. III 647). cognati modo, necessitudine non accuratius exposita

<sup>1)</sup> cfr. Hirschfeld, Z. Ö. G. 1882 p. 105.

<sup>2)</sup> interdum quidem cognatos ultro hoc appetivisse inde apparet, quod vel matrem et uxorem honorati curantes videmus, quas publice electas esse nemo iudicabit.

commemorantur in C. I. G. III 3960 b et 5838 titulis. amicos deinde huic officio praefuisse ex C. I. G. II 2783--3417 — (Bull. I, 86, 26 θροεπιτός) titulis discimus; nec tutorem pupilli statuam curasse collocandam tacemus (C. I. A. III 911). omnes autem hi tituli Romanorum demum aevo exarati sunt, florentibusque Graeciae rebus hic mos revera exstitisse non videtur.

interdum etiam accidit, ut ille ipse, cui ab urbe dicata erat statua, ponendam eam curaret, cuius res exemplum habes in Sestiorum decreto (μυσ. 1878 p. 23). Menae enim cuidam, Sesti civi, ob multa merita corona statuaque ab urbe dedicatae erant; cum autem illo ipso tempore annonae caritas patriae immineret, ipse et statuam solvit de suaque sine dubio pecunia collocandam curavit. huic titulo simillimum decretum quoddam Pagaeorum est (Αθήν. II 482), ex quo Soteli civi, qui permulta in rempublicam beneficia contulerat, ob eam causam statuam decretam esse comperimus. ille autem cum urgeri rempublicam compertum haberet, de suo et solvendae et collocandae statuae providit omnibusque simul dis sacra fecit. sed hae unicae quantum equidem sciam publicae sunt inscriptiones, in quibus honoratum ipsum statuae providisse ponendae diserte dictum est.

hoc loco liceat nobis titulorum quorundam mentionem facere. qui dubites utrum publicis melius an privatis adnumerentur. in initio enim eorum legitur, a senatu populoque statuam esse decretam; paulo post autem sumptus omnes aut cognatum aut amicum honorati tulisse. quarum inscriptionum numerus tantus est, ut vix putare possis, a senatu populoque ultro tot honores tributos ne dicam abiectos esse. accedit, quod in eiusmodi inscriptionibus statuarum curatores nunquam magistratus publici fuisse dicuntur; sed aut cognati aut amici aut servi aut alii, modo quodam cum honorato coniuncti. inde satis effici mihi videtur, saepe a cognatis vel ab amicis civis cuiusdam, quamvis minime de reipublicae salute meriti, senatum populumque rogatum esse, ut statuam ei decerneret, ea condicione, ut ipsi sumptus omnes laturos se esse pollicerentur. et verisimile est, plerumque iis quod appetebant concessum esse. silentio denique non esse omittendum duxi, quod eius generis tituli in iis maxime reperti sunt civitatibus, quae aut pauperes erant aut videri volebant, velut Lacedaemone. ubi

ad rationem aliarum urbium longe plurimi exstant.<sup>1)</sup> hoc cur factum sit si quaerimus, haec causa fuisse videtur, quod signo e senatus populique decreto publice statuto longe maior tribui videbatur honor quam privato. statua enim publice decreta quanti sit aestimata, ex inscriptione Eretriae reperta intellegitur (Rang. 689). cuius in initio postquam actum est de statua Theopompo. homini optime merito erigenda a republica, haec sequuntur verba: ἐπιγράψαι δὲ καὶ ἐπὶ τὰς ἐσταμένους ὑπὸ αὐτοῦ (Θεοπόμπου) εἰκόνας τῶν τε υἱῶν καὶ τῆς θυγατρὸς, διότι ἀνατίθησιν αὐτὰς ὁ δῆμος ὁ Ἐρετριέων ἀρετῆς ἕνεκεν τῆς εἰς ἑαυτὸν. statuis igitur iam antea a privato collocatis senatus populique decretum incisum est (deleta sine dubio priori inscriptione, si quae omnino exstiterat); quod certe non decrevissent Eretrienses, nisi summus hic honor esset iudicatus. sed aberravimus. quamquam igitur statua nullo publico sumptu et perfecta et collocata erat, tamen in titulo supposito publice eam decretam esse incisum est, cum honoris causa, tum ut publico loco statui posset signum. nec maiora cupiebant cognati.

quae modo exposui non ad omnes pertinere inscriptiones in quibus cognati aut amici honorati sumptus omnes tulisse dicuntur, libenter concedo; hoc enim e. g. satis apparere videtur ex *μουσ.* 1880 p. 177 et *μουσ.* 1878 p. 18—23 titulis; attamen saepissime hoc ita factum esse, ut duo illa quae modo laudavimus exempla singularia quodammodo sint iudicanda, nemo sine dubio negare conabitur. curatores autem statuarum tum non a republica datos esse, sed ab iis, qui sumptus omnes (ideoque etiam eos qui ad collocandam statuam pertinerent) suscepturos se esse polliciti erant, manifestum est. qua de causa plurimum eius generis titulorum numerum invenimus, in quibus de curatore nihil omnino additum est, sed ii modo qui pecunias ad signum necessarias solverunt commemorati sunt. neque hoc mirum: erat enim curator aut ille ipse, qui solverat statuam, aut cognatus aut servus fortasse eius. dubium propterea esse non debet, quin pecuniae ut iam monui ad collocandum signum necessariae nunquam a republica sed ab eo semper qui rogaverat statuam solvendae fuerint.

<sup>1)</sup> cfr. omnes fere tituli inde a C. I. G. I 1345 usque ad 1456 et Leb. II 175a — Bull. I 386, 14, alii.

omittimus eos titulos, in quibus qui fuerit curator, plane non dictum est: satis erit paucos attulisse, in quibus certa de eo memoriae sunt prodita. velut matrem honorati curantem videmus Olympiae (arch. z. 1880 p. 55, 341) et Lacedaemone (Leb. II 184?), fratrem Olympiae, cum mater honorati e senatus decreto statuan poneret atque solveret (arch. z. 1879, p. 138, 272), filium in Paro insula (C. I. G. II 2374 e), vernam Philadelpiae (Leb. III 646). vel ex testamento hoc modo statuas positas esse demonstratur inscriptione Smyrnae reperta (C. I. G. II 3192). civis enim quidam, cuius nomen periit, in testamento suo ab urbe petiverat, ut statuan ei erigeret, ad quam perficiendam certas pecunias constituerat.<sup>1)</sup> statuan quidem quam petiverat, decreverunt ei Smyrnaei: curatorem autem non respublica instituit, sed vel tum ipse iam in testamento Tiberium Claudium Metrodorum, amicam putes, huic muneri praefecerat.

redimus ad titulos mere publicos et verbo denique tangimus eos, in quibus curatoris nulla omnino fit mentio,<sup>2)</sup> quamquam non ab alio quodam sumptus omnes solutos esse additur. quorum numerus permagnus est. statuae autem hae item ut aliae omnes quia a curatoribus quibusdam collocatae sint, nemo dubitare potest; sed cur ne nomina quidem eorum exarata sint, haud ita facile est intellectu. homines enim infimi ordinis vel conductos forte, qui digni non indicati sint, quorum nomina signis subscriberentur, statuis praefectos esse collocandis ideo persuadere nobis non possumus, quia alias summos modo magistratus aut nobilissimos cives aut cognatos denique vel amicos honorati hoc officio functos esse vidimus, neque de his statuis aliter actum esse cum aliunde tum ex Sestiorum praecipue decreto apparere nobis videtur (μουσ. 1878 p. 18—23). Menae enim, Menetis filio statuan ob varia merita dedicatam esse a Sestiis in hoc decreto legimus, in quo titulus quoque accurate commemoratus est, qui in statua perfecta exarandus esset. hic autem titulus simillimus est iis de quibus hic quaerimus inscriptionibus: nihil enim aliud in eo legitur, nisi a populo (et iuvenibus) Menae optime merito signum esse erectum:

<sup>1)</sup> cfr. C. I. G. II 2786 — Bull. I 293, 86.

<sup>2)</sup> velut Leb. III 1004—1108 innumerabilesque alios.

curatoris nulla habetur ratio. ex insequentibus vero Sestiorum decreti verbis Menam ipsum a populo curatorem electum esse efficitur; imperatur autem ei, ut praeter statuam columnam quoque ei apponendam in eaque hoc decretum exarandum curaret.<sup>1)</sup> inscriptio autem nobis servata quin aliud nihil sit atque illud ipsum decretum in columna exaratum quis est qui dubitare possit? in statua enim ipsa exilis modo ille titulus legebatur: in columna autem statuae apposita accurate quaecumque ad signum pertinebant, praecipue curatoris nomen publice electi exarandum erat. quod plane Pergameno confirmatur titulo (μ. 905. 1876 p. 23). omnibus igitur huius generis signis, in quibus curatoris nulla omnino fit mentio, (posterioribus quidem Graeciae temporibus<sup>2)</sup>, columnam appositam olim fuisse statuimus, in qua cum alia tum qui curator fuisset signi plane expositum erat. nam curatoris publici munera haud ita iucunda suscepturum quendam fuisse, cum ne hoc quidem gratum acciperet a populo, ut nomine eius ubicumque exarato vel posteris demonstraretur, qui meritis ille sit de republica, nemo sibi poterit persuadere.

adhuc de statu is modo egimus civi eiusdem a qua decretae erant urbis dedicatis; persaepe autem factum est, ut urbs quaedam alienae urbis civi ob varia merita statuam decerneret et quo maior ei tribueretur honor, in patria civis illius hoc signum erigere constitueret. et in ea quidem re hac consuetudine utebantur Graeci, ut curatorum certum numerum eligerent eosque in patriam civis de se bene meriti mitterent, qui a senatu populoque peterent, ut statuam civi decretam loco quodam ponere sibi liceret.<sup>3)</sup> numerus autem varius erat curatorum; comperimus enim vel unum sed vel plures hoc officio functos esse. in inscriptionibus vero huius generis maxime usitata est διὰ πρῆξιόντων formula, in qua διὰ idem valet ac si ἐπιμεληθῆντων dictum esset (p. 3.). omnes quidem qui exstant adhuc tituli praeter duos Romanorum demum temporibus exarati

<sup>1)</sup> cfr. p. 7.

<sup>2)</sup> florentibus forsitan Graeciae rebus honore ipso atque documento in tabularia publica reposito contenti fuerint curatores: postea autem nescio an nemo tam admirabili eminuerit modestia.

<sup>3)</sup> signum non prius poterat collocari, quam ἐπιψηφισα de ea vel latum erat, C. I. A. III 622 — II 251.

sunt. horum autem alter legitur in C. I. A. II 251, agiturque in eo de Asclepiade Byzantino optime de Graecis atque de Atheniensibus merito. cui ut gratiam propterea referrent Athenienses, coronam statuamque decreverunt: et coronam Byzantii pronuntiari statuamque ibidem collocari placuit. qua de causa tres cives Athenienses in contione per chirotoniam electi sunt, qui corona statuamque perfectis Byzantium se conferrent peterentque, ut sibi Atheniensium illa mandata exsequi liceret. alter deinde titulus item Atheniensium decretum est, qui L. Caecilio Metello in Paro insula statuam dedicaverant (Αθήν. V. 9); propterea autem Protimum quendam, qui epimeletae<sup>1)</sup> munere Athenis fungebatur, signo et perficiendo et collocando praeposuerunt. ceteri omnes qui huc pertinent tituli altero demum p. C. saeculo exarati sunt. velut Antonium ab Apolloniatis in Attica collocatum esse comperimus (C. I. G. I 351); inscriptio autem haec cum inter rudera Cereris et Proserpinae templi reperta sit, fortasse colligi inde potest, signum in hoc templo positum olim fuisse. curaverat autem Julius Praxis, Panhellen appellatus, h. e. legatus sive theorus ad Panhellenia Athenis ab Hadriano instituta missus. unum item curatorem in C. I. G. III 5366 b titulo invenimus, in quo exponitur de statua, quam senatus populusque Adraënorum Julio Gemmio, Constantinae urbis civi, in hac ipsa urbe erigere decreverant. similiterque Tripolitanos Aemilii Junci statuam Athenis per unum ponendam curasse legatum constat (C. I. A. III 622). Herodi deinde Attico, celeberrimo illi sophistae, Gythii cives statuam Athenis ponere constituerunt; sed hi quidem quinque ob hanc causam legatos Athenas miserunt (C. I. A. III 668).

Hic autem honor saepissime Hadriano regi tributus est, quem notum est Olympii Jovis illud templum, quod iam Pisistrati temporibus aedificari coeptum adhuc imperfectum iacebat, de sua pecunia extruendum atque exornandum curasse.<sup>2)</sup> accedebat, quod non Atheniensibus modo sed universis etiam Graecis quantum poterat, favebat atque subveniebat. quapropter summi ei honores habiti et a multis Graeciae civitatibus statuae dedicatae sunt, qua-

<sup>1)</sup> vid. p. 12.

<sup>2)</sup> Paus. I, 18, 6.

rum haud exigua pars in Olympieo posita est. quod cum fieri non posset nisi concedentibus Atheniensibus, undique ob eam causam ex urbibus illis legatos Athenas mitti oportebat, qui iidem statuae collocandae munere fungebantur. unum ob id legatum miserunt Abydeni (C. I. A. III 472), Palaeenses (ibid. 481), colonia Julia Augusta Diensium (471), Magnetes (Bull. II 416, 3?), Thasii (C. I. A. III 476). ex aliis deinde civitatibus duo qui collocando signo operam darent, missi sunt, ut a Cypriis (C. I. A. III 478), a Pompeiopolitanis (ibid. 482?), ab Anemuriis Cilicensibus (475), a Sestiis (484); quattuor cives a solis Laodicenis (479), tres a Sebastopolitanis (483) et Ceramiētis (486) legati sunt. incertum autem curatorum numerum Milesii legasse videntur (C. I. G. I 339); providisse enim statuae dicuntur, qui archontes circa T. Julium Macrum fuissent, ad quae Böckhius archontem hunc non Atticum sed Milesium fuisse rem ipsam docere addit. dubium videri potest, utrum legati illi iam domi statuam perficiendam an perfectam modo in urbe externa collocandam curaverint, cum signo domi perficiendo alius consuleret; eos certe, quibus simul ἐργεπιστάται nomen tributum est<sup>1)</sup> etiam statuae providisse in patria exsculpendae manifestum est. sed alias etiam utroque munere functi esse videntur hi curatores, de qua re videantur quae iam antea (p. 8/9) de C. I. A. II 251 titulo exposuimus et Ἐθῆν. V 9.

quod si quaerimus, cuius ordinis hi curatores fuerint in alias civitates missi, plerumque nihil eiusmodi exaratum esse solet, sed nomina per se sola enumerata legimus<sup>2)</sup>, unde privatos hos fuisse colligere possis. in Thasiorum autem decreto<sup>3)</sup> legatus artifex fuisse dicitur, quod unicum esse exemplum iam antea (p. 9) monuimus. in aliis duobus titulis διὰ ἐπιμελητοῦ (Ἀργουφίλου C. I. A. III 481) et διὰ ἐπιμελητῶν καὶ πρεσβευτῶν (C. I. A. III 479) legitur; sed in his inscriptionibus ἐπιμελητῆς vox idem significat quod ἐπιμεληθεὶς, h. e., curatorem, non magistratum huius nominis ordi-

<sup>1)</sup> C. I. A. III 486.

<sup>2)</sup> C. I. A. II 251 — III 471 — 472 — 475 — 478 — 482 — 483 — 622 — 668 — C. I. G. III 5366 b.

<sup>3)</sup> C. I. A. III 476. conferatur de hoc artifice Hirschfeld tit. stat. p. 134 no. 160.

narium (cfr. p. 12), quod quis forsitan coniciat, quia in altera ἐπιμελητῶν καὶ προεστειτῶν dictum est: sed haec sententia C. I. A. III 486 titulo refellitur, in quo διὰ ἐργεπιστατῶν καὶ προεστειτῶν verba eodem modo cum καὶ particula coniuncta leguntur. hi igitur quoque quin privati intellegendi sint curatores, dubitare vix licet, aliter autem iudicandum est de atheniensi inscriptione in Ἀθῆν. V 9 publici iuris facta, ubi ex formula antecedente epimeletam ordinarii magistratus nomen esse apparet in C. I. G. I 351 deinde curator Panhellen appellatur; C. I. A. III 484 autem titulus vitiose scriptum praebet διὰ προεστειτῶν Τίτου Παρώνου Πρόδρομου καὶ Κλαυδίου ΑΒΙΟΥΛΕΥΤΩΝ, ubi primam vocis [βου] λειτῶν syllabam lapicidae errore excidisse Dittenbergerus putat, cui sine dubio assentiendum est: hic igitur senatores duos curatorum officiis functos esse videmus. in C. I. G. I 339 denique archontes qui circa Macrum erant, curasse comperimus. Böckhius quidem Milesium, Atticum Corsinius illum archontem fuisse statuit, si enim reputaverimus, quantum temporis curatoribus consumendum fuerit, priusquam ex urbe tam remota collocato signo redire possent, vix credibile videbitur, archontes omnes, qui summis fungebantur magistratibus, per tantum temporis domo dimissos esse.<sup>1)</sup> aliud enim erat, si epimeleta vel duo senatores propterea legati erant, qui multo facilius aliquantulum temporis abesse poterant a patria quam summi illi magistratus. ob hanc quidem causam Athenienses fuisse archontes putaveris: sed hoc prorsus inauditum, summos alienae urbis magistratus eiusmodi muneri praefuisse, cum Böckhio igitur Milesios intellego archontes:<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> quamquam Corsinius alias protulit causas, fasti attici II p. 164.

<sup>2)</sup> quaesivi etiam, anne οἱ περὶ τῶν Μάκρου γενομένοι ἄρχοντες nihil aliud significet atque Macer, velut quod non raro legitur οἱ περὶ Ἀρισταρχίου idem valere ac si Aristarchus dictum esset, Lehrsius docuit (qu. ep. 28). quod si hoc recte se habet, quominus Milesius fuerit archon, nihil impedit: uno enim archonte, etiam summo, vel per aliquantum temporis egere potuit respublica. confiteor autem mihi ipsi hanc interpretationem non nimis placere, maxime quia γενομένοι adiectum est. τῶν περὶ . . . legitur etiam in Leb. III 988 — Rev. 31 p. 195 et 198 — (cfr. Leb. III 147b) — C. I. G. I 1322—1323.

fortasse autem munera illi inter se partiti sunt, ut alteri statuae domi perficiendae alteri collocandae Athenis providerent.

haec fere habui, quae de publicis exponerem curatoribus. sed antequam ad privatos transeamus, titulorum quorundam velim habeamus rationem, qui separantur melius a prioribus, quia in iis non singulos homines sed societates quodammodo si hac voce uti licet, hoc officium exsecutas esse discimus. ac primum quidem titulus singularis prorsus commemorandus est Smyrnae repertus:<sup>1)</sup> Jonicarum enim in Asia tredecim urbium concilii decretum est pertinetque ad Hippostratum Milesium, qui Lysimachi regis amicus optime de concilio hoc meritus erat. quam ob causam cum alii honores tum hic quoque ei tributus est, ut aenea statua equo imposita in Panionio ei erigeretur: duae autem urbes electae sunt curatores, quae ut quam celerrime<sup>2)</sup> poneretur signum providerent. has vero urbes per se magistratus quosdam summos nobilissimosve cives constituisse operique perficiendo praefecisse dictu vix opus est.

etiam tribus interdum status consuluisse ponendis discimus ex Leb. III 2308 (Soadis), Leb. III 758 (Acmoniae), Rev. 28, 8 (Amastrae) titulis. in primo quidem titulo Minervae templum cum simulacris ab urbe dedicatum esse comperimus, inspiciente (ἐπιτεροπόουτος) tribu Somaethenorum.<sup>3)</sup> sed non universa sine dubio tribus hoc munere functa est, sed ad certos quosdam tribules hoc officium detulisse videtur.<sup>4)</sup> in altero deinde titulo de Vibiano quodam agitur cui a patria statua erat decreta: tribus autem, quae Asclepias vocatur, sumptus tulit, curante G. Julio Lucilio. quin a tribu sententia sit lata de statua Vibiano erigenda non dubitamus, itemque ab eadem curatorem electum esse veri est simillimum. aliter autem de tertia inscriptione cogitandum videtur: in ea enim cura statuae a senatu populoque decretae ad Dioscuriadem delatam esse putamus tribum;<sup>5)</sup> sed et sumptus omnes et curatoris partes pro tribu illa Lucanus quidam suscepit, amicus fortasse honorati.

<sup>1)</sup> archäol. z. 1872 p. 188.

<sup>2)</sup> vid. p. 8 not. 2.

<sup>3)</sup> cfr. Leb. III 2309—2310. hae societates operibus plerumque maioribus perficiendis praefectae esse videntur.

<sup>4)</sup> Gilbert, handb. der gr. staatsaltert. p. 250.

<sup>5)</sup> de hac re vid. Gilbert ibid. p. 250.

deinde de ludis publicis quae tradita memoriae huc pertinent, percenseamus. victoribus quidem persaepe statuas dedicatas esse satis notum est: publice autem celeberrimos modo hoc honore affectos esse verisimile videtur. velut interdum in titulis huius generis legimus: λαβόντων ἀθλοῦν τὸ τε θέμα καὶ τὸν ἀνὰ γράμματα πόνον τῆς βίας, h. e., ob victoriam quam reportavit, permissum ei est, statuam ponere cum basi a republica dedicatam. hic vero mos non ubique idem fuisse videtur. si enim Olympicorum ludorum rationem habemus, statuas victorum aut ab ea civitate ex qua orti illi erant aut a cognatis<sup>1)</sup> victoris aut a victoribus ipsis positas esse constat, quae omnia exposita habes a Krausio in libro qui Olympia inscribitur.<sup>2)</sup> nobis quidem hoc loco de iis modo agendum est inscriptionibus, ex quibus de curatoribus statuarum colligere aliquid liceat: quaecumque autem huiusmodi de publicis ludis cognita habemus, ad Romanorum tempora et ad minores ludos pertinent. et in iis quidem hic mos praevaluisse videtur, ut civitas ea, in qua celebrabantur ludi institutorem eligeret ludorum eique certas pecunias traderet, unde cum cetera ad ludos necessaria tum statuas victoribus erigendas<sup>3)</sup> solveret; quae restiterant, reddita reipublicae.<sup>4)</sup> in ludis autem Leonideis, qui Lacedaemone quotannis celebrabantur, certae pecuniae pro victoriae genere constitutae erant victoribus, unde hermam vel statuam sibi erigere unicuique licebat. has autem pecunias, quae statuae collocandae sufficerent atque perficiendae, nomophylacibus dare eos oportebat, qui loco quodam gymnasii signum perfectum collocare deberent.<sup>5)</sup> proprie vero statuae et exsculpendae et ponendae ab institutore ludorum providendum fuisse verisimile est, quod etiam ex mutila inscriptione Trallibus reperta effici videtur.<sup>6)</sup> institutores autem hi quominus providerent statuis collocandis cum negotiis

<sup>1)</sup> archäol. z. 1876 p. 223, 28 — 1877 p. 36, 34.

<sup>2)</sup> p. 174 sqq.

<sup>3)</sup> ab his civitatibus num externi quoque victores hoc honore affecti sint, nescio; forsitan autem ut Olympiae Graecis modo sic in his ludis civibus solum singularum civitatum interesse ludis licuerit.

<sup>4)</sup> C. I. G. I 1378.

<sup>5)</sup> Lebas II 194 c.

<sup>6)</sup> cfr. Leb. III 612.

plerumque impediti esse videantur,<sup>1)</sup> tum numerus statuarum maior sine dubio erat, quam ut unus omnibus consulere posset erigendis. quin etiam si hoc gratum fecerant reipublicae institutores, ut ipsi pecunias ad statuendum signum necessarias solverent, ne tum quidem eos ipsos sed alios quosdam magistratus publicos curatores invenimus; et Attudis quidem duos epimeletas (C. I. G. III 3952), Philadelphia autem (Bull. I p. 84, 14) oeconomum urbis haec officia pro illis praestitisse discimus. non raro deinde accidisse videtur, ut non institutores modo ludorum sed alii quoque aut magistratus aut privati sumptus ad statuas quasdam exculpandas necessarias pro republica solverent. velut a senatu has pecunias solutas esse constat<sup>2)</sup> et a senatus principe (Leb. III 655); in titulo autem Ephesi reperto (Leb. III 139) Phaeni Fausti cognatum (cuius nomen perit), privatum sine dubio, laudatum invenimus hominem de republica bene meritum, quia statuas victoribus dedicasset; videmus igitur, divites quosdam etiam in hac re reipublicae subvenisse. collocandis autem statuis tum eos qui sumptus ceteros susceperant aut ipsos providisse aut curatores alios constituisse manifestum est atque exemplo comprobatur luculento.<sup>3)</sup> cum enim Aphrodisiade (C. I. G. II 2811) senatus de sua pecunia Menandro cuidam victori, oeconomi senatus filio, statuam erigere constituisset, principem huic muneri praefecit.

denique certas quoque de statu is his erigendis leges existisse apud Graecos praetermittendum non esse silentio duximus. in C. I. G. I 1424 enim titulo sacrae commemorantur leges, ex quibus victoris quis statuam dedicaverit: simile in C. I. G. I 1378 inscriptione legitur. his legibus quae praescripta fuerint quamquam plane non comperimus, tamen de magnitudine et genere statuarum curatoribus praecepta quaedam data esse probabile videtur.<sup>4)</sup>

---

<sup>1)</sup> vid. Köhler, mitt. des athen. inst. III 235.

<sup>2)</sup> cum oeconomi senatus filio statuam erigeretur, C. I. G. II 2811.

<sup>3)</sup> curatores tum modo a republica dati esse videntur, cum institutores ludorum ipsi sumptus omnes facturos se esse promisissent: vid. tituli supra laudati C. I. G. III 3952 et Bull. I p. 84, 14.

<sup>4)</sup> vid. Krause, Olympia p. 141 not. 43.

II.

Satis diximus de publicis curatoribus: perveinimus ad **privatos**. ac primum quidem collegia vel aliae societates in ea re quid egerint, videamus. tres iam antea commemoravimus titulos publicos, in quibus a tribu statuas esse collocatas dictum erat. hoc autem loco inscriptio Ancyrae reperta (C. I. G. III 4032) referenda esse videtur: in ea enim non a republica sed a tribu octava Claudia Aurelia Philotae dicatam esse statuam legimus. de curatoris nomine nulla nisi K littera servata est, neque interest, nomen an Cassander an aliud fuerit: efficitur autem, unum constitutum esse curatorem, qui quin a tribu electus sit dubitare non licet. forsitan huc quoque pertineat titulus Aezanis olim collocatus (Leb. III 880), ex quo statuam ponendam phylarchum (h. e. principem tribus) curasse discimus et alium quendam hominem ignotum: quia phylarchus curat, a tribu statuam dedicatam esse coniecimus. sed ne hoc quidem pro certo potest affirmari, utrum publica haec inscriptio an privata sit, quia quae scripta erant in initio omnia perierunt.

deinde de Liberi artificum collegio quaerendum est. qui cum Nicomedi quondam qui valde iis favebat regi statuam decrevissent,<sup>1)</sup> collocando huic signo Zenonem praefecerunt, qui unus ex iis fuisse videtur quemque et ipsum multa in eos contulisse beneficia aliunde compertum habemus. etiam Philippo ludorum institutori, qui idem a rationibus<sup>2)</sup> collegii erat, statuam dedicaverunt eique muneri duos curatores praefecerunt (C. I. G. II 2933). ex alio autem titulo Smyrnae exarato (C. I. G. II 3190) statuae Juliano cuidam decretae Phoebionem Paulum consuluisse comperimus. hi curatores qui fuerint quamquam in neutro titulo plane legitur, tamen huius collegii socios eos fuisse vix quisquam negaverit. pecuniae autem ad signum collocandum necessariae a quaestore sine dubio curatoribus tributae sunt, quos perfecto officio logistae rationem reddere oportebat.<sup>3)</sup>

epheborum atticorum una modo huius generis inscriptio servata est (C. I. G. I 263). et statua quidem Abascanto dicata:

<sup>1)</sup> Leb. II 116a.

<sup>2)</sup> λογιστῆς, cfr. Lüders, die Dionysischen Künstler p. 144.

<sup>3)</sup> cfr. p. 8.

ponendae autem ei cosmeta, h. e. princeps ephoborum consuluit. quin saepius cosmetae, illi hoc munere functi sint, vix dubium est, quamquam uno modo hoc utimur testimonio.

ex duobus deinde titulis etiam a νεοις<sup>1)</sup> statuas dicatas esse discimus. et Aphrodisiade quidem Adrasto homini optime de se merito statuam erexisse dicuntur, cui operi perficiendo ut consuleret, Pamphilum elegerunt, collocando scribam suum praefecerunt.<sup>2)</sup> eosdem denique νεοις Sirrhac in urbe Macedoniae invenimus (C. I. G. II 2007): posuerunt autem pontificem maximum institutoremque ludorum concilii Macedonici, curante Cassandro quodam, quem ideo unum ex iis fuisse coniceris.

quibus praemissis ad titulos proprie privatos transeamus. privatis quidem publico loco signum ponere non licuit: sin cui hunc honorem tribuere vellent, senatus populique decreto oportebat.<sup>3)</sup> domi modo aut in templis, quae semper unicuique patebant, quovis tempore ne statuas collocarent, prohiberi non poterant; ad signum autem in alius privati agro collocandum consensu eius opus fuisse manifestum est.<sup>4)</sup> et saepissime quidem ipsos et operi perficiendo consuluisse statuamque ponendam curasse cum per se probabile sit, tum exemplis comprobatur certis<sup>5)</sup>, itaque in longe plurimis titulis privatis de curatore nihil omnino adiungitur, cum illum qui solvisset statuam plerumque etiam perficiendam atque collocandam curasse nemo nesciret. exempla huius generis titulorum afferre vix iuvat: videantur fere C. I. G. II 2774 — 2818 — 2821 — Bull. I p. 290, 74 — I p. 293, 82 inscriptiones aliaeque multae. quod si igitur statuendum est, plerumque eum ipsum privatum, qui dedicaverat statuam, ponendam quoque eam curasse, tamen interdum etiam cognatum eius vel amicum hoc munere fungentem videmus; quin etiam vernam curatoris partes suscepisse exemplo demonstratur.<sup>6)</sup> Mylasis quidam Menecrates columnam erexit, cui

<sup>1)</sup> de quibus vid. Hirschfeld, Z. Ö. G. 1882 p. 161.

<sup>2)</sup> fusius de hoc titulo egimus p. 9.

<sup>3)</sup> de titulis huc spectantibus iam antea inter publicos egimus p. 18—20.

<sup>4)</sup> vid. Perrot, exploration de la Galatie et Bithynie p. 53.

<sup>5)</sup> C. I. G. II 3183 — Diog. L. V, 15: ἡν διενοούμην ἐξδοῦναι.

<sup>6)</sup> Leb. III 109; cfr. etiam Bull. I p. 86, 24.

caput impositum erat; curavit autem omnia filia eius, fortasse quia ipse negotiis aut aegritudine impeditus erat (C. I. G. II 2714). contrarium autem ex C. I. G. I. 345 titulo discimus in quo Theraeos tres cives Hadriano statuam Athenis dedicasse legimus, cum collocando huic signo pater eorum provideret. Syntychen deinde quandam Fortunae posuisse simulacrum legimus in C. I. G. II 2264m inscriptione: erigendae vero ei maritus eius consuluit. Aezanis autem (C. I. G. III 3846c) a liberis duobus statua soluta, a patruo eorum posita est. mira quodammodo C. I. A. III 1171 inscriptio est. duos enim filios<sup>1)</sup> patri statuam dicasse ubi dictum est, hoc pergitur modo: ἀτὸς δὲ ἑαυτὸν<sup>2)</sup> παρέστησα τῷ ἰδίῳ κοσμητῇ Πούφφ Ἐλεουσίῳ. effici igitur ex hoc titulo videtur, patrem ipsum statuam ponendam curasse prope signum Rufi Eleusi, qui cum ipse ephebus esset, cosmetae munere functus erat.

denique hoc loco mentionem facimus Aristotelis testamenti, quod a Diogene Laertio (V 15) servatum nobis est. et is quidem sex elegit amicos, qui quae mandasset in testamento perficienda curarent, cumque alia multa, tum hoc quoque curare eos iussit, ut statuae consummarentur, quae Gryllioni artificei exsculpendae traditae essent, perfectae autem suis imponerentur locis. praeterea autem Nicanoris atque Proxeni statuis (quarum alteram ipse locare in animo habuisset) matrisque Nicanoris signo ponendo consulenter; Arimnesti vero statuam iam perfectam suo loco ponerent, itemque matris ipsius signum aut Nemeae aut ubicunque videretur. discimus igitur, ad testamenti curatores vel statuas collocandi curam delatam esse, quod quin saepius ita factum sit, nemo dubitabit.<sup>3)</sup>

### III.

Restat, ut in tertia parte qui curatores signis loco sacro statuendis providerint, breviter contemplemur. cum autem iam de privatis perpauca modo memoriae sint prodita, de his minora etiam

<sup>1)</sup> una cum nepote.

<sup>2)</sup> ἑαυτὸν hoc loco ut persaepe posterioribus maxime Graeciae temporibus pro ἑμαυτὸν usurpatum esse nemo non videt.

<sup>3)</sup> similis testamenti (C. I. G. II 3192) iam antea mentionem fecimus p. 20.

pro certo possumus affirmare. quae servatae nobis sunt huius generis inscriptiones, etiam hae ad unam omnes Romanorum demum imperatorum temporibus exaratae sunt. ac primum quidem Aphrodisiensium commemoramus decretum (μουσ. 1880 p. 180, 367), in quo a civibus Vespasiano statuam dicatam esse legimus Ephesi in Augustorum templo collocandam, cui rei consuluerit Aristo, Plutonis et Proserpinae sacerdos, qui praeterea νεωποιός<sup>1)</sup> τῆς Ἀρροδείτης vocatur. neque ita multo post Hadriano imperatori ab Amphictyonibus Delphis statutum est signum (C. I. G. I 1713), quod ut collocaretur, Plutarchus, sacerdos Delphicus, consuluit. Athenis denique in Aesculapi templo brevi ante inscriptio reperta est, ex qua a senatu populoque Sozonti cuidam medico, qui sacerdotio in illo fungebatur templo, hermam ibi dedicatum esse apparet; curaverat autem hoc signum Coponius Maximus, qui ipse ἱεροκλήρυκος<sup>2)</sup> muneri praeerat (Ἀθήν. V 323). hae autem unicae sunt inscriptiones, ex quibus ubi posita sit statua a sacro curatore collocata plane comperimus; apparet autem ex iis, status in templo collocandis sacerdotes consuluisse, sed non eiusdem modo fani sacerdotes, in quo statuendum erat signum. non praetermittimus alias quasdam inscriptiones, in quibus quamquam de loco plane nihil dictum est, tamen ubi positae fuerint statuae probabili consequi possumus coniectura. et antiquissima quidem in C. I. A. III 454 exstat, in basi inscripta statuae Tiberio a senatu populoque Atheniensium dicatae; de loco quamquam accuratius nihil additum est, tamen in Cereris olim et Proserpinae templo positam eam fuisse iam Dittenbergerus recte existimavit. curavit autem sacerdos quidam, num Augustorum, dubitatur. sequitur Sardoniorum decretum (Leb. III 627), quod permutilum expleri tamen potest ex inscriptione latina, quae apud Orellium (6913) exstat. et decernitur quidem ab urbe statua legato propraetore Vespasiani, curante

---

<sup>1)</sup> vide de his Fabric. de architect. gr. Berol. 1881 p. 25 not. 1; cfr. Friedlr. sitteng. III p. 236, 1 et C. I. A. II 403 l. 28: ἀρχιτέκτωνος τοῦ ἐπὶ τὰ ἱερά. inde dubium esse non potest, quin templi quodammodo intellegendi sint curatores, qui si quae delubri partes labem traxissent, restaurandis statim iis consuluisse videntur.

<sup>2)</sup> de hoc munere vid. Schömann, altert. II<sup>3</sup> 419.

Augustorum sacerdote: forsitan ideo in Augustorum templo collocatum esse hoc signum putaveris. Nervae deinde imperatori statua dedicata est a Magnetibus (C. I. G. II 2911), quam ponendam curavit Flavius pontifex maximus, qui idem populi scribae munere fungebatur. basis autem cum in Dianae Leucophrynae delubro reperta sit, in hoc statuam olim positam fuisse probabile videtur. in portu deinde Traiani decretum exstitit, quod pertinet ad signum a Gazae urbis civibus iussu patrii dei (h. e. Marnae) Gordiano III positum (C. I. G. III 5892); curator autem Tib. Claudius Papirius constitutus erat templo praefectus.<sup>1)</sup> iam Franzius in adnotatione ad hunc titulum in portu Traiani Marnae templum exstitisse in eoque Gordiani statuam positam fuisse probabiliter coniecit.

denique de consecrandis simulacris pauca adicienda esse duximus. ac primum quidem locum illum quo statuendum erat hoc simulacrum certis quibusdam signis circumscribi necessarium fuisse videtur<sup>2)</sup>; praeterea autem certi quoque in simulacro collocando ritus adhiberi solebant. ex Aristophanis enim Pluto (1191) in simulacri collocatione sacerdotem facem gestantem adfuisse comperimus, quem mulier ollas in capite gerens variamque induta vestem secuta esset; et si credimus scholiastis, hic praeterea mos vignit, ut ollae fabarum coctarum plenae in ipsa collocatione a mulieribus circumferrentur.<sup>3)</sup> quamquam autem haud multo alius mos exstitisse videtur, cum de deorum signis in domo privata collocandis ageretur,<sup>4)</sup> tamen cum in templo simulacrum consecrandum esset, semper sacerdotem collocationis munere functum esse contendimus: consecrationem enim hanc secretam neque ulli ali atque sacerdotibus formulam in ea adhibendam notam fuisse constat.<sup>5)</sup>

Ex omnibus igitur his de quibus modo exposuimus rebus hoc plane apparere nobis videtur, sacerdotes nunquam neque status

<sup>1)</sup> ἐπιμελητῆς τοῦ ἱεροῦ. nescio an hoc idem significet atque ἐπιστάτης τοῦ νεῶ, de quo vid. Boeckh staatsh. I 218 et saepe.

<sup>2)</sup> vid. Bötticher Philol. XVIII p. 589, tektonik II<sup>2</sup> p. 431; cfr. Schömann, gr. altert. II p. 185 et 186, 4, 5.

<sup>3)</sup> cfr. Castorches in Ἀθήν. VIII p. 363.

<sup>4)</sup> Athenae. XI p. 473 c.

<sup>5)</sup> Bött. tektonik II p. 431.

neque simulacris in publico loco collocandis<sup>1)</sup> sed in templo modo statuendis providisse. quod et per se consentaneum est. sed aliud hoc, statuis eos omnibus in templo collocandis operam dedisse cave colligas: haec enim sententia iam ea re refellitur, quod longe maior in templis quibusdam signorum numerus eodem interdum tempore (velut in ludis) positus est, quam ut unus sacerdos omnibus his signis providere posset statuendis: immo ab iis plerumque qui dicaverant signa (sive a republica sive a privato) constituti sunt curatores, qui inspiciente fortasse vel locum modo designante sacerdote signa in templo collocaverunt. quod ita se habere gravibus etiam demonstratur testimoniis, quorum mentionem iam antea fecimus, cum de publicis et privatis ageremus curatoribus. cum enim Athenienses quondam L. Caecilio Metello in Paro insula in Apollinis templo statuam erigere decrevissent, huic et perficiendae et collocandae Protimum praefecerunt epimeletam<sup>2)</sup>. item huc pertinent, quae de statuarum curatoribus iam antea<sup>3)</sup> exposita sunt, qui signis Hadriano in Olympieo ponendis consuluerunt. neque privatos aliter in hac re se gessisse ex C. I. G. I 345 titulo colligendum est. Theracii enim tres cives cum Hadriano statuam in Olympieo ponere constituissent, collocando huic signo patrem suum praefecerunt.

---

Quod si in fine paucis complectimur, quae de curatoribus exposuimus, rempublicam quidem ita statuis providisse collocandis vidimus, ut non raro ad magistratus summos nobilissimosve cives hoc munus deferret. multo autem saepius et saepissime corrudentibus Graeciae rebus a cognatis vel amicis honorati curam non modo signi erigendi sed sumptus omnino universos susceptos esse demonstravimus, unde ab illis ipsis vel rogationem statuae dedicandae latam esse colligere ausi simus. duo autem modo invenire exempla contigit, ex quibus vel eum ipsum cui decreta erat statuā etiam

---

<sup>1)</sup> tum modo hoc officium ad eos delatum esse videtur, cum iidem publico (Schöm. altert. II 412) simul praecessent muneri, Bull. II p. 523, 6.

<sup>2)</sup> Ἀθήναιον V, 9.

<sup>3)</sup> vid. p. 23.

collocasse eam apparuit: et hoc quidem nisi in summo reipublicae discrimine nunquam factum esse videtur.

ad tribus deinde perraro modo haec cura delata est et semel vel ad duas urbes a concilio Jonico; in ludis autem publicis praeter institutorem modo magistratus modo privati curatorum partes susceperunt.

sodalitia deinde aut collegia vel ad magistratus vel ad alios quosdam socios hoc officium deferre solebant; privati autem ipsi plerumque statuas a se dicatas posuerunt aut a cognatis amicisve ut huic rei providerent, petiverunt. de sacerdotibus denique certi vix quidquam contendere potuimus: hoc autem probabile visum, statuas publice ponendas nunquam sed eas modo quae in templis statuendae erant et ne has quidem plerumque collocandas eos curasse.



## THESES.

---

1. in C. I. G. II 3159 pro ἀτείμητον quod omni sensu caret, ἀλείνητον legendum est.
  2. in Luc. epigr. 18,2 pro ταῦτα τὰ — πάντα τὰ corrigendum est.
  3. quod in C. I. A. I 463 v. 2 exstat nomen equidem Πέλ(λ)ιχον legerim. (Thucyd. I 29 — Luc. Philops. 19.)
  4. quae Suidas s. v. μετὰ habet, non ex Apollonio sed ex Photio descripsit. inde corrigendum: ἐξ. αὖ μετόπισθε — ἐρρώοντο — μετ' ἀμφιπόλους βασιλεία.
  5. in Aristot. pol. II, 6, 14 recte Susemihl<sup>2</sup> (p. 226) αὐτοὺς ἡνάγκαζον καὶ τοὺς . . . restituit, sed καὶ vocem falso retinuit.
  6. in Anthol. Pal. V 145, 5 pro ἄμενον Wilamowitzius ingeniose Ἀμόντου coniecit (Hermes XIV 166); propius ad codicum lectionem accedit Ἀμείβου (schol. Y 329), quod nomen etiam in Strab. XII 542 restituendum esse puto. cfr. Lehrs Arist.<sup>3</sup> p. 236.
  7. quam in Stackelberg 'gräber der Hellenen' tab. LIX pictam vides mulierem puerum laeva manu gestantem Pacem cum Pluto iudicaverim.
-

## VITA.

---

**E**rnestus Kuhnert natus sum Rosenbergae in oppidulo Prussiae occidentalis die Augusti 23. anni huius saeculi 62. patre Rudolpho qui puerulo me ex vita decessit, matre Ida de gente Lange, quam adhuc superstitem esse gaudeo. fidem profiteor evangelicam. primum quidem a doctoribus eruditus sum privatis; annum autem vitae nonum agens Regimontum veni collegiumque ex eo tempore frequentavi Fridericianum, ubi anni 1880 initio maturitatis testimonium adeptus sum. deinde in academia Regimontana philologiae et archaeologiae studui per tres annos; quattuor semestria proseminarii, duo seminarii philologici sodalis fui: praeterea seminariis interfui archaeologico, historico, theotisco.

docuerunt me viri hi illustrissimi: Bezenberger, Friedländer, Garbe, Hirschfeld, Jordan, Ludwich, Quäbicker †, Rühl, Schade, Schubert, Walter, quibus omnibus, praecipue Gustavo Hirschfeld et Arthuro Ludwich gratias ago quam maximas ob eximiam benevolentiam mihi praebitam.

